DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

FEBRE PUEPERA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS CARDIFF,

CHIRURGUS,

Hibernus.

Ἐσόδῳ χρέο πυκνῶς, ἐπισκέπτεο ἐπιμελέστερον, τοῖσιν ἀπατεωμένοισιν ἐπὶ τὰς μεταβολὰς ἀπαντῶν· HIPPOCRATES.

In omni febre oportet vigilare, et quicquid mali oriatur, idoneis remediis succurrere.—HEBERDEN.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD D. SCHAW ET FILIUM.

MDCCCXV.

VIRO SPECTATISSIMO

THOMÆ SWAN,

ARMIGERO

DE TOMBREEN;

QUI ORBIS PATREM ET OPPRESSIS PROTECTOREM,

SE PRÆSTAT,

HANC DISSERTATIONEM,

EXIGUUM

ANIMI PLURIMORUM BENEFICIORUM IN SE SUOSQUE COLLATORUM MEMORIS,

TESTIMONIUM,

SACRAM ESSE VULT

ROBERTUS CARDIFF.

NECNON

THOMÆ DERENZEY,

A. B. T. C. D. & M. D.

ARTEM HIPPOCRATICAM

APUD CARNEW

SUMMA CUM LAUDE

EXERCENTI,

HOC OPUSCULUM,

GRATUS OB MULTA BENEFICIA IN SE COLLATA,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE PUERPERA.

PRŒMIUM.

Hujusce academiæ legibus obtemperans, quæ ex gradum Doctoris ambientibus, dissertationem de re aliqua ad medicinæ scientiam pertinente, requirit; materiam opusculi, ex omnibus aliis, Febrem Puerperam elegi. Hanc ut seligerem, impulit *imprimis*, occasio, quæ mihi eam videndi cum in Nosocomio Eblanensi Puerperis accomodato, tum per Urbem, copiam suppeditavit. Discipulus hujus enim Domesticus a calendis mensis Augusti 1813, ad Calen-

das Februarii usque 1814 remansi; intra quatuor cujus spatii menses primos, hæc tristis febris, quasi epidemica, grassata est exitio multis ; et cum senior discipulus a primo Novembris fuerim, hoc malum videre, ut per urbem occurreret, et aliquas illo implicitas tractare mihi contigit: *Deinde*, quod nullam hujus morbi historiam invenire potui, phænomena iis, quæ in Noscomio vidi, prorsùs similia describentem. Fines solitos ne commentariolo sequenti transeam, morbum tantum describere conabor, qualis in Nosocomio inter tempus supra dictum apparuit: et paucas tantum observationes adjungam, de phænomenis ipsis, ut vidi, ex necesse manantes; scriptorum quia rationem reddere auctorum, de Febre Puerpera, qui multi sunt, (et inter alios Hippocrates) eaque cum observatione propria, utcunque imperfecta comparare, ultra fines præscriptos longe me perduceret.

Primo, Igitur symptomata, et phænomena hujus febris, qualia in Nosocomio visa sunt, quam accuratissime memorabo; quæ, ni fallor, satis forent ad morbum ab omnibus aliis dignoscen-

dum, atque ad prognosin haud omnino obscuram efficiendam: quoniam manifeste patebit febrem omnibus fere lethalem, quas occupaverat, evasisse.

Secundo, De causis pauca dicam.

Tertio, De effectibus remediorum multorum, et medicomentorum, quæ febricitantibus in Nosocomio data fuerunt, loquar, et de vi eorundem in paucis hujus febris exemplis, ut per urbem se ostendit, quibus ipse hæc ministravi.

Quarto, Phænomena morbida, inter cadavera inspiciendum viginti circiter Puerperarum, a febre sublatarum, observata perbreviter attingam.

Quinto, *Et ultimo*, pauca verba de prophylaxi subnectam.

MORBI HISTORIA.

Puerperas post naturalem, difficilem, *Præternaturalem*, vel anomalum partum, pariter hæc febris invasit; sed nullas ante partum, et neminem omnino, nisi Puerperas. Illarum haud paucæ, quas febris invasit, multum animi angi ante impetum ejus visæ sunt. In omnibus No-

socomii partibus febris grassata est, nunc plures febricitabant in aliis conclavibus, nunc in aliis vicissim; sed in paucis horum, quodam tempore, plures febricitabant, et vitâ etiam decedebant, quam in aliis; quæ tunc per tres circeter hebdomodas clausa, probe ventilata, et fumigata aere nitrico, et aliis multis, fuerunt. Hoc modo conclavium plurima vicissim purgata fuêre; tamen febris in aliis haud omnino domita grassata est; et ubi in illas Nosocomii partes more dicto purificatas Puerperæ rursus admissæ fuerunt, rursus etiam rediit febris in illas sub pristina forma. Omnes ad unam, in quovis conclave, Puerperas nunquam simul febris invasit; quamvis omnes eodem die, vel nocte plerumque parturiêrunt. Puerperæ circiter octo in quodque conclave simul admissæ sunt; tres, vel quatuor quarum, interdum majorem, interdum etiam minorem numerum, vespere tertii, vel mane quarti diei post partum, hic morbus invasit. Hac ordine, in omnibus Nosocomii partibus, febris incepit. Mirum nonnihil videtur, quod, in unoquoque conclave, Puerperas in Lectis inter

se remotis observata esset febris plerumque invadere. In lectis duobus vicinis Puerperæ febre sæpe ægrotabant, et vita decesserunt, altera tamen in tertio lecto, qui unus inter alios duos fuit, tutò evasit, nulla febris symptomata ostendens, quamvis eodem tempore, ut aliæ, prolem edêrat. Sic vespere, vel nocte tertii, post partum, diei, cum rigore insigni, febris fere semper incepit, functionibus antea plerumque naturalibus, et nullis symptomatibus præmonitis prægressis. Hic rigor per longum tempus duravit, magnopere vexavit, et exceptus fuit stadio calido, et sudorifico: sed his perbrevibus pro rato rigore. Interdum pauci rigores abnormes, incertis temporibus in decursu morbi, apparuerunt. Brevi post morbi accessionem tempore, de dolore abdominis gravi multum queri inceperunt ægræ; quem ad aliquam unam partem ejus plerumque referre non potuerunt. Dolor hic etiâm apud initium, abdomine presso, multum auctus fuit; in progressu vero morbi sine intermissione, et cum remissionibus raris tantum, et brevibus ingravescebat; donec saltem

parietes abdominis anteriores, levissimi tactûs in quavis parte, impatientes fiebant, etiam ponderis toralium. Abdominis tensio, et molis ejus incrementum, cum dolore fere coœva fuerunt, tamque insigniter increverunt, ingravecente morbo, ut terminationem lethalem versus, abdominis moles multo major, quam ante partum, sæpe fuit. Linea rubra a regione pubica ad umbilicum serpens, quem describit Tissot, et quæ (ut ille ait) nigra evadens mortem portendit, non adfuit. Pulsus arteriarum semper ab initio, valde frequentes, celeres, exilissimi, et debilissimi fuerunt; et omnino sentiri non potuerunt sexdecem, vel viginti quatuor spatio horarum ante mortem. Adeo insignis, etiam in principio, pulsus fuit, ut per eum hunc morbum ab aliis optime dignoscere potuimus; scilicet ab Ephemera, vulgo dicta *Weed*, quæ Puerperas, incertis post partum temporibus, haud infrequenter invadit, sed plerumque sine periculo; ab inflammatione, gangræna, &c. uteri, orientibus ex injuria ei facta; quæ in partibus difficilibus, &c. interdum inevitabilis est, ubi febris non supervenit; ab [illegible]

[redacted]â; a moliminibus post partum interdum occurrentibus anglicè *after pains.* Symptomata quidem febris *Pathognomonica* multa hic possim enumerare; sed haud opus mihi videtur, qnia plenius conspici possunt totam historiam perlegendo: de pulsu hoc modo loquor, ostendendi causa tantum, quam insignis fuit. Calor trunci corporis apud initium parum auctus plerumque fuit, sed etiam tunc extrema potius frigida fuêre, et brevi tempore elapso frigidissima fiebant. Cutis ab initio potius pallida, et squalida fuit, et provecto morbo, sudore frigido, et oleoso madescebat; qui semper magnopere auctus fuit, cum magna Extremorum frigiditate finem versus lethalem. Nullæ petechiæ vel vibices, in ullo febris stadio, sese ostenderunt. Tumor erysipelatosus quem Doctor Denman describit, non adfuit ubi febris bene notata fuit; sed duo exempla morborum sporadicorum vidi; in quibus tumor ejus descriptioni accurate respondens, se ostendit; tamen Puerperæ ambæ bene convaluerunt. Lingua madida, sed sordida, et albida fuit, ingravescente morbo

sordidisima et siccior fiebat, dentibus fusca sorde interdum oblinitis; sed non tam sicca, fissa, et nigra, ut in Typho graviore. Capitis dolor haud multum urgebat; sed nausea, sensus gravis oppressionis in regione epigastrica, liquoris viridis vomitus ab initio vexarunt; progresso morbo, vomitio frequentior evadebat, et maxime ægras vexabat, liquor nunc vomitu ejectus flavus fiebat; sed terminationem versus lethalem, vomitus in singultum mutatus fuit, et liquor ejectus nigri coloris, vel infuso coffeæ similis, fiebat. Sitis gravis et magnum frigidi, et acidi potus desiderium adfuerunt; qui sumptus vomitu, vel singultu statim rejectus fuit, cum multo liquoris biliosi. Alvus plerumque astricta fuit; et sæpe promoveri non potuit, nisi catharticis fortioribus, cum enematibus. Fæces haud naturales, sed graveolentes, et fœtidissimæ semper fuerunt. Unum exemplum vidi, in quo cathartica, et enemata omnino ad ciendum alvum imparia fuerunt; inspecto cadavere, in flexura sigmoidea coli strictura inventa fuit. Lochia, usque ad accessum morbi, naturalia plerumque fuere; post hanc tamen

pluriès evanuere, nec rursus apparuere, ubi morbus lethalis fuit. Lactis etiam secretio, ante febris impetum, naturalis fuit, brevi vero tempore post, suspensa, et interrupta fuit, vel si lac secretum esset, statim resorptum est. Urina turbida, et potius fœtida plerumque fuit. Respiratio difficilis, et brevis; propter diaphragmatis, et musculorum abdominalium functionem impeditam, dolore, et magna abdominis mole. Vultus pallidus, languidus, et anxius fuit, conditionem flebilissimam semper prodidit. Nonnullis accessit levis faciei, vel genarum rubor, sed citô evanescens. Oculi segnes, languidi, tristes fuêre; tunica conjunctiva inter palbebras dormientium sæpe conspici potuit. Mens plerumque sana, sed ab initio anxia, despondens, et eventum mali cupida audiendi; paucæ autem in ultimo stadio febris, doloris, et periculi impendentis omnino insciæ, e lecto surgere, conatæ fuerunt, domum se ituras dicentes. Explum unum vidi; in quo maniæ puerperæ febris superveniebat, et ambæ ægram vexârunt ad mortem usque: Cadaveris inspectio febrem causam

mortis fuisse ostendit. Hic flebilis morbus, vespere, vel nocte tertii diei, post partum incipiens, sine intermissione ingravescebat, viribus ejus quotidie auctis, donec tandem miseriis quibus ars prorsus frustra auxiliari tentaverat, mors finem posuit. Hæc plerumque evenit, die septimo, octavo, vel nono post partum.

CAUSÆ.

CAUSAS hujus febris, tam remotas, quam proximas hic apponere consuetudo me monet; sed quum penitus cum DOCTORE THOMPSON, Regio Professore, Chirurgiæ Militaris in Academia Edinburgena, consentiam; qui in libro suo prælectionum de inflammatione, sic ait, "The term proximate cause, it is obvious, is merely another name for the state of inflammation; and being the disease itself, it neither requires nor admits of being distinguished from it," page 50, de illis causis tantummodo loquar, quæ remotæ dicuntur; et in prædisponentes, et excitantes dividuntur. Ab historia hujus morbi quam supra proposui, fieri non potest, quin manifestum sit,

parturitionem summam causam prædisponentem fuisse. Fortasse propter relaxationem, mobilitatem nervosam, et irritabilitatem auctas, et repentinam commutationem in contentis abdominis quæ omnes majore, vel minore gradu, in omni partu eveniunt. Mentis anxietas, interdum esse causa prædisponens auxiliaris visa est. Neque sentire non possum, prædispositionem magnopere auctam esse, alvi astrictione; quæ fere semper evenit tempore parturitionis, omnino inter pauperes neglecta; quæ in nosocomium plerumque paucas horas tantùm ante partum, veniunt; præsertim quum bene notum est, quod alvus diu astricta morbos organorum digestionis fere excitat, et per eos totius generis nervosi perturbationem, et morbos denique locales, vel generales *. Gallici nonnulli opinati sunt, retentionem lactis causam præcipuam febris Puerperæ esse; quod ad probandum haud pauca argumenta protulerunt; quibus omnibus renuit Burserius. Hujus opusculi termini me non sinunt argumenta utrimque inserere, nec meum

* *Vid.* Opera Chirurgica Abernethy.

est inter illos tantas componere lites; sed quoniam lactis secretio naturalis fuit ad accessionem febris usque, et brevi post interrupta fuit, defectum secretionis lactis potius sequelam quam causam febris fuisse, recipere cogor. Nonne analogia, ab imperfecto ferè omnium secretionum statu in aliis febribus, videretur huic opinioni potius arridere? Ut mihi videtur, quod dictum est de secretione interrupta, vel absorptione lactis febrem Puerpuam ciente, pariter diceretur de defectu secretionis, absorptione, vel retentione lochiorum eam ciente; quoniam illa etiam in quantitate naturali profluxerunt ad aggressum febris, sed brevi postea plerumque evanuerunt. Injuriam utero oblatam, inter parturiendum, frequentem causam febris Puerperæ esse, haud pauci opinantur. Si hoc evenit, putandum est inflammationem primûm in utero incepisse, inde *Sympathia Contigua* ad peritonæum serpsisse; indeque per totos ejus ambitus *Sympathia Connua* longe lateque grassari, in effusionem brevissimè terminantem. Nunc hoc eveniat judicare non paratus sum; sed duo exempla in Nosoco-

mio vidi, etiam dum febris in eo grassabatur; in utroque quorum tanta injuria utero facta fuit sub partu difficili, ut inflammatio, et gangræna ejusdem secutæ essent; et mortem ægris binis induxit: nulla tamen indicia febris *pathagnomonica* ante mortem sese ostenderunt, quamvis ægræ per multos dies vitam traxerunt. Cadaveribus inspectis, uteri fere toti gangrænosi reperti sunt; sed nulla vestigia inflammationis peritonæi, nulla serosa effusio, nullæ moles lymphæ coagulatæ in abdomine inventæ. Experimenta Chirurgi Travers in libro suo de visceribus abdominis recitata, hoc sæpe evenire posse, probare videntur. Febris, ut supra dixi, Puerperas interdum invasit post partus; in quibus haud dubitandum est, nonnullam injuriam utero factam esse, sed haud sæpius quam post partum naturalem. Excitantes quod spectat ad causas, manifestum erit, aerem contagiosum, et infectum nosocomii summam, si non solam causam excitantem extitisse: præsertim cum febris non grassata esset per urbem, omnino in eadem proportione, vel sub eadem forma maligna.

CADAVERUM INSPECTIO.

In omnibus dissectionibus Puerperarum febre extinctarum, quas mihi videre contigit, insigniora phænomena morbida fuêre sequentia. Abdominis parietibus anterioribus incisis, qui magnopere distenti semper manserunt, multum serosi liquoris, cum molibus lymphæ coagulatæ similibus commixti, in abdomine inventum est. Quantitas frequentissime ad quinque, vel sex libras fuit, modo tamen minor, modo rursus multo major; sed ne uni quidem dissectioni adfui, ullius puerperæ a febre in nosocomio sublatæ, in cujus abdomine hic liquor serosus cum coagulis non inventus fuit. Color hujus liquoris viridis, interdum leviter albiccans, et persimilis seri lactis, sed pauca exempla fuere, ubi liquor potius fusci coloris fuit. Cum seroso liquore fragmenta minora commixta; dum majora inter convolutiones intestinorum, et super iis jacebant, super omento, mesenterio, mesocolo, et omnibus visceribus abdominis. Hæ moles tam leviter adhærebant visceribus, super quæ jacebant, ut partibus non perturbatis apparuerunt

nantes in gurgite vasto. Peritonæum, per totos ejus ambitus, morbide vasculis refertum, et subrubrum fuit, tam parietibus abdominis intus adhærens, quàm viscera abdominalia tegens, et omentum, mesenterium mesocolon &c. formans. Peritonæum viscera abdominalia involvens; quæ naturaliter multo motu potiuntur, præcipue ventriculum rubrius, vasculisque plenius quam alibi, interdum apparuit. Tunica jecoris peritonea vasculis rubuit, sed nulla morbida structura, nulli abscessus in ipso jecore, inventi sunt *. Peritonæum fundum, et posteriorem uteri portem tegens, non magis vasculis refertum, aut rubrum quam in aliis partibus fuit. Frequentissimè nulla structura morbida in utero reperta fuit. Exempla pauca fuere, inquibus superficies interna exuviis nigris tenuibus obducta fuit; quæ facile utero sano abradi potuerunt. Hae exuviæ similes fuerunt iis, a Chirurgo WHITE descriptis, et verisimile est (quod ille ait) decidua membranæ residua fuisse. Nulli absces-

* DOCTOR HULME abcessum, in jecore mulieris hac febre extinctæ repertum, esse tradidit.

sus in utero, vel partibus vicinis inventi fuerunt. Unum exemplum vidi; in quo unum ovariorum majoris molis, et structuræ durioris, quam naturale, repertum est. Adhæsiones nullæ, præter leves per moles coagulatas, repertæ; nec omentum, mesenterium, vel intestina in ullo casu gangrænosa fuerunt. In uno exemplo strictura flexuræ *sigmoideæ* coli inventa fuit; in paucis aliis *area* hujus eodem loco morbide imminuta apparuit.

MEDENDI CONSILIA.

Regiminis idonei, et ventilationis liberæ magnum momentum, narrationem remediorum, et medicamentorum, quæ in curatione adhibita sunt, ab illis incipere me suaderet; sed omitto aliquid de illis dicere; quia ob utilitatem refrigerantium, ventilationis et fræquentis vestimentorum mutationis nunc universè agnotam in omnibus febribus, certus sum, quod non dubium foret, quin curiossisme observata essent in Nosocomio; præsertim, cum curæ hujus præfecti essent viri, maxime eruditi, scientia madica, et ex

perientia insignes. Durante mense Augusti, sub temperie cœli potius calida febris in Nosocomio grassata est exitio multis; tunc sanguis missus a Brachiis fere omnium quas febris invaserat, et interdum sanguinis missio repetita fuit majore vel minore quantitate ut visum est. Si ante horam octavam vesperi febris accessit, tunc sanguis missus est; si postea, mane die sequente. Quanquam pulsus, vultus, tempus anni, quo febris, ut ëpidemica grassata est, aer Nosocomii magni et conferti, temperamentum mulierum, pleræque quarum pauperes, et in partibus urbis insalubribus habitaverant, venæsectionem prohibuisse viderentur; dolor tamen abdominis tactus impatientis, et analogia inter hunc morbum, et peritonitidem communem non in Puerperis occurrentem, missionem sanguinis indicare visi sunt. Præsertim quia in peritonitide communi sanguinis missio interdum haud parvi prosit; quamvis pulsus eam indicare non videretur; et pulsus plenior, interdum etiam validior, post sanguinem missum observetur. Verumtamen experientia

haud parva docuit sanguinis detractionem, effectum non omnino tam bonum, in hac febre habere, et imparem esse ad morbum tollendum, vel etiam ad gradum ejus sistendum; immo nonnulla exempla fuere, ubi visa est effectum omnino contrarium præbere. Jussus sanguinem detraxi a brachiis duarum Pnerperarum, (No. 10.) quas febris haud multis horis ante invaserat. Sanguis ad uncias circiter duodecem, vel quatuordecem ab utraque missus, superficiem leviter coriaceam albam ostendit; nullum animi deliquium, nulla debilitas peculiaris dum sanguis profluxerit; tamen brevi post venæsectionem tempore, ambæ multo graviores fiebant, nec unquam aspectum tam salubrem recuperârunt, quam ante habuerant donec mors supervenerit. Medicamenta iisdem data fuere cathartica leniora, enemata, haustus effervescentes, fotus abdominis, et talia. Quamvis sanguinis detractio tam parvi profecit in curatione febris Puerperæ Nosocomii, optimum tamen remedium fuit, in nonnullis morbis sporadicis, qui in eo apparuerunt. In uteri quoque inflammatione sub

partibus difficilibus &c. interdum inevitabli, cui febris non supervenit. Dum sanguis, ut supra missus esset, cathartica leniora, quantum ad alvum rite temperandum præbita sunt: perpaucis tamen fæces aut fætorem morbidum, aut graveolentiam amittere visae sunt. Pulvis antimonialis cum calomelane interdum datus fuit, varia emetica in dosibus refractis, opium, haustus effervescentes &c. ut visum est. Sed emeticorum exhibitio in dosibus repetitis, ita ut vomitus fræquens cieretur, vix potuit necessaria esse in hoc morbo; in quo vomitio semper adfuit etiam maxime vexavit. Dolor quoque abdominis, frequentem exhibitionem emeticorum prohibere visus est. Primo intuitu multum mirandum videtur, cur detractio sanguinis in hoc morbo non magis profuerat, in quo aucta peritonæi vasculorum frequentia in cadaverum inspectione observata, adfuisse inflammationem visa est probare, quamque nihil vetat, quin ad phlegmonem referamus cum universalem in effusionem terminationem habuerat. Tamen me saltem judice passivæ naturæ fuit: quod si reminisceremur effectus quem aer nonnullorum noso-

conniorum possidet, præcipue, dum epidemica in iis grassantur, modificandi, et mutandi etiam salubrem inflammationem in naturam epidemici, si temporis anni quo hoc malum invaserit, si conditionis relaxatæ debilitatæ, et irritabilis omnium aegrotarum brevi tempore post febris impetum; si terminationis ejus præmaturæ in effusionem, admiratio nostra erit magnopere imminuta. præterea multum commodi, ab sanguinis missione, vix expectari potest functione organorum digestionis morbida, et indomita remanente, quæ igitur ex necesse multum imminueret vires systematis antea debilis, et parum conferret ad domandum morbidas, vel restituendum salubres functiones. Abdomini sæpe sanguis detractus fuit ope hirudinum cum multo beneficio; unum exemplum vidi, ubi Puerpera ex febre bene convaluit multis hirudinibus abdomini sæpe applicatis. Periculum olei terebinthinæ multum laudati a Doctore Brennan factum vidi; majori parti febricitantium datum fuit ab ℥ss ad ℥i pro dosi, et repetita fuit, sæpius, aut rarius, ut visum est. Vo-

mitum frequentem, et catharsin plenam plerumque induxit, et in paucis exemplis aliquid levaminis primo dare visum est: tamen periculo longiore et pleniore facto, manifestum fuit oleum terebinthinæ nulla vi specifica hunc morbum curandi præditum esse. Immo adfui dum per duos, vel tres dies datum est Puerperæ (in No. 8.) febre ægrotæ, per quod tempus multo celerius ingravescebat, quam aliæ febricitantes eodem in loco, quibus non adhibitum est. Hoc observato intermissum est, tunc cursus morbi declivior nonnihil remoræ visus est sustinuisse, tamen mors brevi tempore supervenit. Polygalam senegam adhibitam in hoc morbo, mihi non contigit videre. Propter similitudinem haud parvam, inter hanc febrem, et biliosas remittentes in tropicis regionibus occurentes, præsertim biliosam putridam febrem Grenadæ tam peritê tractatam a Doctore Chisholm, et etiam propter magnum profectum ex calomelane in emendando morbidas et insalubres inflammationes in putridis morbis, a seipso observatum, Doctor Tuomy medicinæ prac-

ticæ in Academia Eblanensi professor, calomelana in curatione hujus morbi commendavit; tamen utiliorem fore putavit, si ut prophytacticum remedium ante impetum febris daretur. Idem etiam exhibitionem cerevisiæ fermentantis propter magnam ejus, et bene notam vim in fœtorem excrementorum corrigendo, et abdominis tensionem imminuendo, in morbis putridis, proposuit. Exempla duo in nosocomio vidi, ubi Puerperæ duæ febre ægrotæ bene convaluerunt, quibus statim post morbi impetum, calomelas datus fuit, et dosis repetita cum enematibus, donec plurimæ, et copiosæ dejectiones, sed fœtidæ, et graveolentes supervenerunt; calomelas postea in refractis dosibus datus, donec dejectiones naturales fiebant. Hoc tempore calomelas pro communi cathartico plerumque exhibitus est; quamvis nec tempus impetûs, nec ulla indicia febris adfuerunt. Nunc febris evanescere cœpit, igitur opportunitatem videndi, postea non habui, effectum calomelanos in eam levandam versus. Num frequens illius exhibitio ad febris extinctionem aliquid contulerit, judicare

non possum, quia eodem tempore frigidum cœlum invadebat, quod, ut bene notum est, insignem vim putridam contagionem delendi possidet. Cerevisia fermentans in noscomio non data est; mihi contigit tamen optimos effectus, ex calomelane, et cerevisia videre, in curatione febris Puerperæ, ut per urbem occurrebat; quatuor Puerperis similiter febricitantibus febri nosocomii, sed mitius, ea dedi. Unicuique harum statim post morbi impetum, grana quatuor vel quinque calomelanôs, cum paucis Rhei, et uno vel duobus pulveris antimonialis ministravi, abdomen sæpius indies foveri jussi; dosis repetita fuit cum enematibus purgantibus, donec plena catharsis supervenerit. Tunc cerevisiam fermentantem ad duas circiter libras quotidie dedi; diebus sequentibus medicamenta repetita sunt; sed dosibus calomelanôs minoribus, interdum conjunctis cum opio, vel haustibus anodynis interpositis, donec tandem dejectiones naturales fiebant. Ægræ sic tractatæ visæ sunt, non perdere, sed potius acquirere vires; post dejectiones ita naturales factas, tensio

abdominis, et impatentia tactus evanuerunt; et ipsæ restitutæ sunt. Ab his factis fideliter recitatis sentire adductus sum, sanguinis detractionem iteratam per Hirudines multas, fotum, epispastica, calomelanem cum antimonii preparationibus, opio ut videretur addito, vel interposito, et cerevisiam fermentantem, aliis anteponenda esse; præsertim ubi febris malignam formam quam descripsi induit. Num bene nota potentia catharticorum mercurialium, præ cæteris, in primas vias exonerando putridis contentis, quibus in hoc morbo visæ sunt abundare; aut potentia eorum localis in subigendo organorum digestionis vitium, hoc in morbo semper gravissimum, num vis morbidam inflammationem subigendi, ut constat ex eorum effectibus in Dysenteria; aut vires quas Hydrargyri preparationes habere videntur, in absorptione promovenda, vel effusione impedienda, quæ semper valde mature evenit, et causa mortis hic existere apparet, talem effectum nos plane sperare persuaderunt? Ex Digitali, in primo stadio hujus morbi, multum beneficii nequeo non

expectare, quia in irritabitidatem systematis imminuendo, et in pulsus minus frequentes efficiendo, multum pollere videtur, dum inanitionem periculosam, haud omnino inducit; effectus etiam in absorptione promovenda, exhibitionem ejus in ultimo stadio indicat.

PROPHYLAXIS.

Remedia prophylactica (ut opinor) scientia nostra causarum morbi niti debent; quare quum hæc scientia haud incertis fundamentis, vel observatione nititur, indicationes duæ sunt. *Primo,* evitare, amovere, vel corrigere causas excitantes, si id fièri potest. *Secundò,* Causas prædisponentes quam maxime corrigere, et systema in eam conditionem redigere, in qua quam minime effectum sit causis excitantibus. Jamjam ostendere conatus sum, cur crederem, aerem noscomii summam causam excitantem hujus morbi fuisse; et etiam memoravi quibus modis purificare eum, et contagionem delere, tentatum est; qui tamen durante cœlo calido, ad præventionem febris impares reperti fuere. Quod ad causas prædisponentes spectat, haud dubium est (ut supra

posui) parturitionem summam causam prædisponentem (vel sine qua non) hujus morbi fuisse. Verisimile est propter repentinam, in contentis abdominis, commutationem; et relaxationem mobilitatem, et irritabilitatem in omni partu auctas; quæ igitur quamvis evitandæ non sunt, tamen mobilitas, et irritabilitas nonnihil imminui regimine apto, et aere haud calido possunt. Mentis anxietas prædispositionem augere visa est, quam amovendi vel corrigendi minimam potestatem habent medici. Jamjam quod alvi astrictio possit, prædispositionem magnopere augere, ostendere, modique agendi rationem reddere, conatus sum: hanc solam cum fide possumus amovere, vel corrigere medicamentis. Hinc non potest quin fieret; quod aer purus, neque calidus, regimen idonenm, et attentio ad canalis alimentariæ functiones, ante et post partum, secundæ indicationi optime responderent, et propter causas ante enumeratas, et effectus, quos ex catharticis mercurialibus vidi, me saltem judice, hæc anteponenda sunt.

FINIS.